hominum supplicari fecit Sac. Congregationi de Propaganda fide, ut etiam humaniorum studiosi Litterarum possint assumi, et obtinuit decretum in favorem.

Duo sunt Patres Basiliani, quibus Pater Regens rigidissimis ipse Bullae Pontificiae imperijs imitabatur post exactum probationis annum mediam imperavit Juramenti executionem; volebant Juramenta praestare, sed non sunt permissi a suis Superioribus, scriptionem Literarum in Vrbem ab Alumnis quot annis fieri debitam maxime timentibus; Postulavi resolutionem Illmi Nuntij Antecessoris Vrae Illmae Dnationis qui per Patrem Jacobum Tenner Procuratorem nostrae Provinciae, me in conscientia tutum fecit et resolutionem ultimatam ex Vrbe mittendam sollicitus est, ut nimirum velieuent, vel a Seminario discedant. Nihil hujus resolutionis obtinui; In Aprili anni currentis annum mansionis compleuerunt. Expecto de illis eo cum maiori aviditate resolutionem, quo securiorem exopto habere conscientiam.

Domus ipso muro a fundamentis erecta, est bene reformata et accomodata, et ita Constituta sicut fuit ante Vilnae excidium, et insuper Cubicella viginti opere mensarij in Dormitorio extructa, murus loco maceriae ligneae discriminans Seminarium Pontificium a Seminario